

qua solertia hostes inopinatò, nec quidquam cogitantes adorsus fuerit: quot arcis interclusis munitionibus, omnibusque aditis interceptis tenuerit. Dicite, quo successu catapultarios Equites gubernarit, ut statim Dux esse posset, atque Magister Equitum renunciatus, qua vi, fortitudine, constanza acies disposuerit, ordines distribuerit, percurrebit, circumierit, in fugam hostes egerit, victorias obtinuerit: adeo ut militarium omnium munerum numeros impleret, & præstantissimus à Maximo nostro Rege cum exagerata nimis, & cumulata ductorum omnium suffragatione judicaretur.

Verum hæc, etsi clarissima, & per omnes Europæ regiones cum publica lassatæ famæ commendatione pervagata: quia tamen longè à nostris oculis peracta sunt, missa faciamus, & ea quæ vidi mus, quæque experti sumus, aggrediamur. Et quid AA. illustrius, quid magnificenter aut vos spectare potuistis, aut ego in memoriam revocare in homine præsertim tot annos supremam potestatem habente, quam sit illa quæstus despectio, atque perdifficilis divitarum neglectus, quo nedùm nihil unquam ab aliis exigeret; verum nec libentissimè, instanterque oblata, ac pene in manus immissa reciperet? Neque enim vos præterit, quo usque cupiditas processerit, quam latè Orbem terrarum complexa sit;

atta-

attamen ANTONIUS noster ab augendæ pecuniæ desiderio tam longè semper aberat, ut etiam illa quæ jam consuetudine, aut veteri lucrandi præscriptione fuerant sancita respueret, nullisque artibus adduci potuerit, ut statutas patrio veluti jure largitiones, in propriam utilitatem corrivaret. Erit fortasse quispiam qui existimet, hanc agendi rationem ab omni prorsus cupiditate abhorrentem, in illis dun taxat rebus, quæ ex justitiæ legibus erant decernenda, religiosissimè servasse; sed nonne vidistis exi mium Principem in illis etiam quæ gratis, ultròque deferret, quæ ex una ipsius voluntate promanarent, neminique injurius esset in alterutrum conferendo, nullo capescendi lucri studio permotum? Quod si aliquando, post accepta beneficia, quædam grati animi significatio fieret argento, aut auro resplendens atque elegans, collatæ gratiæ poeniteret, atque severo, aut potius minaci vultu offerentem repelle ret. Hâc mirabili, ac pene divina integritatis vi, nec illos, quibus familiarissimè utebatur, eosque vel maximo in honore, aut dignitate constitutos ullis donorum machinis corrumpi patiebatur: solebat enim, ut cum omnibus Ædium suarum limina paterent, aliqui gravia viderentur, aut avaritiæ maculis sordes cerent, aut qui ad æquitatis officinam adirent, non nisi corrogandæ pecuniæ artifices invenirent. Mag.

G

num

num Hercule, AA. maximum, ac præclarissimum vivendi genus, atque hujusmodi, ut illo virtutes omnes contentæ, cunctaque solatia adunata esse videantur. Evidet qui aurum, argentum, divitias nihil duxerit, nihil erit profecto, quo à sanctissimis moribus, æqui, justique legibus, ac rationis regulis exorbitet: illum necesse est pulcherrimarum, maximarumque virtutum accessione cumulari, atque eâ vel maximè, quæ ex hoc pecuniarum contemptu, quasi legitima progenies sobolescit, liberalitas nimirùm, atque profusa in pauperes, egenos, ac miseros beneficentia. Quæ quanta fuerit in ANTONIO, facile intelligitur, cum vel disertissimum oratorem reprimeret, quod de ea nihil vobis incognitum, aut cuiquam inauditum dicere valeret. Ut enim viribus, consilio, authoritate pollebat, ita emittebatur, ut rei familiaris angustiâ laborantes juvaret. Quæ si propositis exemplis declarare voluisse, longissimus profecto fore; & quamquam vos ea pro ANTONII nostri gloria avidissimis auribus, pro mea exiguitate fastidientibus, exciperetis.

Hæc ille taciturnitatis velo cooperta maximè voluit, atque domesticis contenta parietibus egregiè celavit; verum pro eo apertissimè loquuntur tot perennatura subsidia pauperum, non illorum modò, qui miserrimi, ac inanissimi ostiatim stipem

men-

mendicatò quærebant; verum etiam illorum, quibus parva domi fortuna reliqua fuerat, aut in aliquâ rei domesticæ difficultate versabantur; quæ sanè ille, aut magnis, ac multò maximis pecuniæ additamentis, aut suis consiliis, suasionibus, conatibus perfecta, atque absoluta conspexit: loquuntur suplices illæ literæ extra Urbem missæ, quibus pauperum personam indutus, egestatis auxilia quærebat, ut pro leniendis pauperum miseriis, pauper ipse appareret: loquitur sanctissima illa Domus Divi Philippi à Jesu nomine consecrata, in qua pauperrimæ simul, ac Religiosissimæ Virgines, quæ sub strictiori Sancti Francisci Regulæ institutione vitam degunt, quam ille egregiâ, atque magnificentissimâ largitate fovebat, cujusque angustiis incredibili amore, atque solicitudine excubabat. Sentio, AA. properato opus esse, quare strictim, sicut hucusque feci, cætera videamus, quæ facile, ut reor, vos metipsi cogitatione, & conjectura assequemini. Neque enim aliquem ita nullo ingenio esse arbitror, qui cum ANTONII nomen audierit, non facta ejus præclarissima commemorare possit; adeo ut certò credam, hanc frequentissimam concionem, quæ me circunstat, non ad audiendas ex me illius virtutes; sed ad illas, quas omnes sciunt, gratissimâ memoriâ recolendas convenisse. Quid enim dicam de man-

mansuetudine, quâ in animadvertisendis erratis, plectendisque criminibus utebatur; qua ubi in suis iussis, ac scitis verbum aliquod insolens, aut asperius illi, quibus eorum conscribendorum erat imposta cura, exarabant, illicò obliterandum decernebat sic, ut vel ipsa quibusdam adversantia decreta penitissimâ suavitate condiret? Quid de præstanti judicij maturitate, quæ negligens cunctatio quibusdam potuit videri, quâ in gravioribus causis multa secum ipse meditabatur, multa animo volvebat, multorum consilia expetebat, prius quâm rem executioni mandaret? Ita erat ut, quæ semel iusisset, non esset, cur aliquando revocaret. Quid de veritate, perspicuâque animi significatione, quâ nemini fallaci spe, inanibus promissis, verbis in speciem tantummodo faventibus illudebat; sed animi sui sensus luculentissimè reserabat? Quid de eâ, quæ veritatis germana soror, fide, quâ, quod semel verbulo, aut oculorum nutu sponderat, constantissimè servabat? Quid de temperantiâ, quâ & supellecstile, & famulorum copiam, quantum tanti muneris dignitas, ac splendor ferebat, moderabatur? Quid de expeditissimâ in negotiis conficiendis ratione, quâ incredibile ferè videatur, hominem unum tot rebus tam gravibus, tam variis, tam implicatis, tam inter se pugnantibus consulere potuisse:

se: quibus, medius fidius, complures homines vix sufficerent? Verùm id adeptus fuit improbo quadam, indefesoque labore, à primo diluculo ad plusulum usque noctis protracto; nam vespertinâ illâ animi relaxatione, quam aut naturæ necessitas, aut indulgentia dignitatis invexit, prorsus neglectâ, totum illud tempus rebus ad exitum deducendis insumebat; ut neque adversa valetudo, aut festorum dierum occursus, aut vitium defatigatio illum ab instituto revocaret; quod non paucis diebus, aut mensibus, sed septem ferè annis (utinam tot per sæcula) constantissimè retinuit. Hâc laborandi asiduitate regium ærarium, nedum omni ære alieno, quo jam pridem laboraverat, sine ullo civium incommodo liberavit, verùm plurimâ accessione ditissimum reddidit. Hac animi contentione Novæ Hispaniæ Regnum ita custoditum, munitionibusque securum obtainemus, ut nulla pernicies ex australi, borealivè mari imminere videatur. Hâc vigilantiâ per illos Americæ tractus hucusque incognitos, etsi vastissimos, simulque desideratissimos, tot explorationes factas videmus, ut illius plagæ abdita quæque innotescerent. Sed quid ego hæc singillatim percensere opus habeo, cum ubique Bucarelianæ virtutis præclarissima, ac maxima protent monumenta, quibus Urbis nostræ dolor temporari,

perari, quiescere, ac sedari penitus debet?

Et erit aliquis Religiosæ illius indolis tam ignarus, qui cum videret tot rebus intentum, ac penè obrutum ANTONIUM; eum de præcipuis, ac unicè necessariis ad animam spectantibus indiligentem fuisse arbitretur; cum nihil compertum magis vobis sit, AA. quām omnibus illis rerum humanarum curis pro Rege, & Republica susceptis ad animæ salutem collineasse. ¶ At non ille fuerat, qui octavo quoque die, cœlesti se pane reficiebat, ut sacræ suavitate dulcedinis adolesceret, qui quotidie rei sacrae faciendæ intererat, librorum piorum lectioni vacabat, iterata præcantia verba cœlitibus fundebat, aliis pietatis operibus, se exercebat? ¶ Et hæc maximo solatio non erunt ad mœrorem temperandum, ad excicandas lacrymas, ad Libitinæ faces extinguedas? Quòd si tanto, tamque egregio lenamine Mexicanorum animus deliniri non queat: illud profectò omnem doloris sensum obtundet, quod singulari splendore in nostro Principe semper enituit, tenerescentis animi ardens, ac vera erga Dei Parentem Virginem affectio. Hanc ille Augustissimam cœlorum Reginam, ceu dilectissimam Matrem omni officiorum, atque affectuum genere coluit, semper de Marianis laudibus, atque honoribus cogitavit, omni fere loco, ac tempore illam in

cor-

corde, & animo gestabat, ac complectebatur. Et licet erga omnes tantæ Matris Iconas sese addictissimis obsequiis mancipasset, in illam tamen principe studio ferebatur, in quâ præpotens ipsa Domina amantissimam se Mexicanorum Matrem declaravit. Conjicite paulisper, quæso, oculos vestros, AA. ad sacras illas Guadalupanas Ædes, quas adeò frequens adibat Antonius: illum intuemini ad aram maximam humiliter provolutum, coeleste Simulacrum, accuratissimâ prece, lacrymantibus oculis, venerabundo corde salutantem: cuius ille gloriam, cultusque majestatem enixè promovit; cui tot donaria sacrificavit, à quo rerum omnium suarum faustissima primordia auspicabatur, cuius tot exemplaria ejus cubicula exornabant, ut quocumque oculos converteret, illam respiceret suæ, ac Americanæ felicitatis stellam. Quòd si in gentilitio suo stemmate sacra illa salutationis Angelicæ verba: *Ave scilicet Maria* exarata circumferebat; in argenteo limbo, quem pro subtinendo Augusti Simulacri velamine, dono dedit, cuius ipse prima lineamenta proprio stylo duxerat, illud addidit: *Ave Maria Guadalupana*: verùm his minimè contentus, adhuc vitâ functus ad ejus voluit limina non jacere, sed post exhortatas hujus mundi procellas, placidissimo velut in portu conquiescere. ¶ O supremam, atque omnibus

expe-

exoptandam felicitatem in Mariæ clientelâ vixisse,  
extremumque vitæ spiritum, reddidisse.

Nihil jam, AA. hoc levamine præstantius ad doloris medelam exoptari posse videtur; sed mihi multo jam ante animo obversatur illud virtutum omnium principium, totius sanctitatis fundamen-  
tum, atque verissimi solatii pignus amplissimum;  
pietas nimirū erga Deum, ac religiosus timor,  
qui hæc omnia relinquere suadet, & ad se se totam orationem convertere cogit; illum ANTONIUS summa asiduitate, non intermissis precibus à Deo flagitabat, illo solummodo tremebat, his etiam quibus cum familiarius ageret, solitus dicere: *Age dum orate Deum, ut mihi majestatis suæ salutarem metum incutiat, præ hoc nihil cupio, nihil exopto: eo uno omnia mihi auspicata, atque felicia advenisse fatebor.* Atque si timor hic aptissimum quoddam est frænum, quo voluptates coercentur, eodem vel molliores leviculæ delectationis illecebras cohibuit. Si calcar est, quo mortalium mentes ad bonum impelluntur, eo stimulo ad optima quæque gerenda, ac perficienda cucurrit. Si virga est, qua reguntur animi, ad illum quotidie sua facta, quasi censoriâ virgulâ notabat, etsi quid noxæ reperisset sui ipsius genercsus vindex plectebat. Si ille est securioris spei robur, ac firmamentum, eo potissi-

sqvæ

mum

mùm suam omnem confidentiam subſtentavit. Et ut hæc extra dubitationis confinia posita, rebus ipſis firmata credatis, quamquam refugit animus, seque ab illo luctuosissimo aspeetu removere conatur, accedite parumper cogitatione ad lectum, quo fato proximus jacet egregius Princeps. Cernite unius diei, (¿an horæ dicam? Deus Immortalis!) quantæ virtutes emicuerint. Nam cum primùm jam imminentis mortis inevitabile telum propositum fuerat, ut audivit: audivit? Imò ut amplexus est, atque alacris, divinæque voluntati obsequentissimus exceptit; nam qui semper timore Dei pavidus vixerat, ¿cur erat, ut ad mortis aspectum pertimesceret? Imò ex tunc vultu ad gravitatem composito, & ex temperatissimis animi motibus virtutis specimen respirante, nulla nisi religione, ac pietate plenissima, & ingentem Dei amorei spirantia verba proferebat, & quoties de spe in Deo reponenda commonefieret, magna voce, ex imis præcordiis erumpente clamabat: *spero pro Dei misericordia me servatum iri: spero æternam beatitudinem assequuturum.* Tum petitâ à cunctis familiaribus veniâ, Sacerdotesque precatus, ut per illos sibi liceret humili stratum, ultimum diem obire, summâ patientiâ, cum Dei placitis consensione, infracto robore, serenis, etsi jam lucem amittentibus, oculis, ore ad

H

ul-

( 22 )

ultimum usque spiritum piissima verba repetente, placidissimè quievit, ita ut illum, quemlibetque alium non aliter voluisse mori existimare debeamus.

Hic ego, ut extremum quoque habeat oratio mea, vos consulo, AA: si illa vivendi ratio, si hæc moriendi conditio non laudanda modò, verùmetiam invidenda, dicite ḥan tali vita functus dolendus potius, an plaudendus videatur? ḥPlus ne gaudii, an mœroris ex illius obitu capiendum? Neque tam sum rudis; vestræque sapientiæ inexpertus, ut ignorem, quid sitis responsuri. Scitis, quid gravitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid virtus denique secum afferat, quæ inter imminentia pericula firma manet; quæ nullo metu concutitur, nullis cladibus subjiciatur: quare si adeo vobis ANTONII felicitas cordi est, hancque vestrīs commodis præfertis, ḥquid demùm dolere deinceps potestis, cum summa bona, atque perennaturæ gloriæ cumulum adeptum esse existimare debeatis? Adeste igitur animis vos omnes, quorum confertissimâ coronâ maximè lætor, ut intelligatis; hanc demum vobis lætandi occasionem manere: quòd ANTONIUS noster bis Mexicanam Gentem servavit, & dum vivens tanto amore, & studio tutatus est, & cum è vitâ decedens tot virtutum monumenta reliquit. ḥQuod enim solatium firmius, verius, atque in-

H

dul-

( 23 )

dulgentius, quàm illum ab Urbe nostrâ, divinâ illi providentiâ commendatâ, non nisi naturæ necessitate, & lege fuisse disjunctum, nostramque civitatem, dum hoc extabit imperium, viventem illum semper memorâ retinere? Maximumque hoc erit solatium non vobis modò; verùmetiam amantissimis Fratribus, propinquis spectatissimis cum illo fuisse sanguine junctos, dum viveret, qui moriens pellucidum sanguinem à populorum oculis expresserit. Solatium erit Hispaniæ Regno, ex sinu suo tantum Virum eduxisse, qui Urbium amplexibus exciperetur. Solatium erit Militiæ eum in castris vidisse, qui non nisi cœlesti Regno militaverat. Solatium erit Nobilitati eum sua luce decorasse, qui eamdem vicissim virtutum explendore nobilitavit. Solatium erit pauperibus locupletissimum suum pœnu in cœlo colocasse. Solatium erit Mexicanæ Reipublicæ eum, qui illam vivendo gubernasset, moriendo melioris vitæ certissima documenta præbuisse. Attamen non inficiabor, quòd plus ANTONII virtutes prædicantur, eò maiori dolore animos affici, quòd plurium abscedentium bonorum desiderio teneantur: adeo ut solatia ipsa dolorem pariant, dolorque solatia ingeneret: quare duabus hisce in unum coalescentibus incertum semper erit: *luculentiora nè dolendi, an lætandi argumenta ANTONIUS noster reliquisset.*